

A. S. N.

36

DISSERTATIONEM GRADUALEM

DE

*RELIGIOSIS QUIBUS DAM PACTA
CONFIRMANDI MODIS,*

Auctoritate Ord. Philos. Lyc. Auraici,

PRÆSIDE

Mag. JOH. BILMARK,

HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publicæ disquisitioni proponit

GUSTAVUS LAURENT. ZETTERMAN,

Sveo-Gothus,

In Audit. Majori die 20 Jun. An. MDCCXCVIII,

Horis 2. m. confuetis.

ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS.



§. I.

Quamvis magna omnino sit hominis industria, præfertim dum animi ac corporis vires intenderit; at tamen sibi soli relictus, parum ad vitæ conservationem ac commoditatem obtinendam proficiet. Hunc defectum quotidie sentienti, juxta tamen non plane ignoranti, quantum in suis necessitatibus subveniendis aliorum juvari possit opera, e re fuit, hos, quorum ad se relationem utillem sibi futuram præsumebat, sibi ita devincire, ut quod gerendum esset, communi efficeretur studio. Enimvero alter non solum alterius opera, sed etiam opibus indiget; & licet homines se mutuo amare, lege teneantur Naturali, adeoque suam invicem promovere conservationem ac perfectionem debeant; hæc tamen obligatio extra societas est mere indefinita, adeo, ut is, cuius ope vel rebus indigemus, easdem nobis præ aliis, illis quoque tunc indigentibus, suppeditare non teneatur, imo nec gratis easdem nobis concedere, si quid habeamus, unde ei satisfacere possumus. In talibus itaque rerum articulis, necesse fuit, ut ambo inter se de dando vel faciendo convenienter, quo quidem modo exstiterunt *Pacta*, sive conventiones duorum vel plurium, quibus se invicem libere obstrinxerunt ad aliquid dandum, faciendum vel non faciendum. Unde porro consequitur, tantam esse pactorum in vita communi necessitatem, ut sine his vix consistere, nedum commoda futura esset humana conditio. In ipso autem hoc dissertationis limine monuisse juvabit, nos late adeo sumere pactum, ut eodem contractum & foedus

comprehendamus; quamvis enim foedus præcipue respi-
ciat conventionem inter Principes & Nationes, a probatae
tamen Latinitatis Scriptoribus, foedus de privatis etiam
pactionibus & quibuscumque aliis confociationibus fre-
quenter adhibetur, pactis ac foederibus conjugalibus, ami-
citiæ, aliisque promiscue occurrentibus.

§ II.

Quamvis ex illa, quam modo dedimus, pactorum
notione & eorum necessitate intelligatur, eadem rite ini-
ta, si nullum eis adhæreat vitium, probe esse servanda;
hanc tamen propositionem specialibus quibusdam, e Jure
Naturali petitis argumentis, adhuc confirmabimus. Inter
præcipua hujus præcepta, gravissimum merito habetur:
Ne quis alterum lèdat. Qui autem alteri quid ex tenore
initi pacti promittit, mentem suam de aliquo dando vel
faciendo ea intentione eidem significat, ut dictis suis fi-
dem habeat, & his convenienter rationes vitæ suæ dein-
ceps instituat. Si vero nihilo secius contraclam violet ob-
ligationem, facit certe, ut compacifens de sua spe de-
cidat, & vitæ suæ rationes turbentur, adeoque deteriori,
quam antea, plerumque sit conditione, verbo: præter me-
ritum ita lèdatur; quod sicut Lege Naturali est interdi-
ctum, absoluta est uniuscujusque pacientis obliga-
tio, pacta servandi. Præterea eadem Lex Divina nobis in-
jungit, ut socialitatem, ceu medium desideratam obtinen-
di felicitatem, colamus; sed omnis inter homines sociali-
tas pactis coalescit, & tamdiu durat, quamdiu pacta ser-
vantur, simulac vero horum vinculum dissolvitur, ipsa
quoque exspirat; quod adeo est verum, ut ne eorum
quidem societas, qui sceleribus pascuntur, consistere pos-
sit, nisi pactorum fides maneat integra; Ergo absolute est
necessarium, ut pacta serventur.

§ III.

§. III.

Si itaque homines argumentis & legum præceptis, uti omnino par est, semper moverentur, & rationem suam, eeu actionum moralium ducem, sequerentur, nemo foret, qui de pactorum vinculo temere rupto, jure posset conqueri. Sed imperium suum in nos perpetim non retinet ratio, negotiis nostris iterum iterumque intervenientibus nostris sensibus & affectibus, sperandam ex violato pacto utilitatem nobis monstrantibus; quorum proinde lenociniis non pauci in transversum se ita rapi patiuntur, ut non tam de fide data, ex officio servanda, quam de eadem dextre, ut nullum versutiæ appareat vestigium, eludenda, sint solliciti, culpam vel in casum nec prævulum nec prævidendum, vel in prægnantem conjicientes necessitatem. Quibus omnibus technis vel præcavendis, vel malis hinc ortis reparandis, communis hominum industria non sufficit, quum propter ingenia multiplicita ac tortuosa, modus disquisitionis de pactorum moralitate saepe sit & difficilior & sumtuosior, quam futura esset ex illis percipienda utilitas.

§. IV.

Inconstantiae proinde pacifcentium cohibendæ varia iterum iterumque adhibita sunt firmamenta, partim *civilia*, quorsum referimus aliorum concionum & a partium studio immunium auctoritatem, nec non pignora, obsides & sponsores seu Fidejussores, de quibus vero in præsenti nihil differemus, partim etiam *religiosa*, quibus propter Religionis seu persuasionis de attributis Divinis, eorumque ad nostrum statuum relatione influxum in animos hominum non plane corruptorum, magnum semper statutum fuit momentum. Hæc enim ex sensu nostræ im-

becillitatis ac dependentiae ab *Eo*, qui independens est, nata, omnes ac singulos docet, Deum, Supremum coeli terraeque Monarcham, esse *omniscium*, cuius perspicaciam ne nostræ quidem cogitationes, nedum actiones fugiunt, nec non *omnipotentem & justissimum malorum vindicem*, qui pactorum violatores, partim citat ad conscientiae ipsorum tribunal, eosque in hoc judicio se reos habentes, experi-ri facit animi cruciatus, externis quibusvis tormentis sae-pe acutiores, partim mala his citius serius immittit natu-ralia, quamvis hi causam & occasionem istarum calamita-tum aliunde arcessere soleant. Habet præterea Religio nullum personarum aut dignitatum respectum, sed singu-læ pariter obstringuntur ad rationes actionum suarum Ju-dici omnium supremo reddendas; ex quibus consequi-tur, per Religionem pactis accedentem, his accedere fir-mamentum. Quo concessso, quæret tamen forte quis-piam: quid igitur Atheum vel Deistam in officio conti-nebit? Profecto tales sunt inhabiles, qui & socialitatem colant & pacta servent, nisi vel aliorum auctoritatem in se agnoscant, vel naturæ suæ bonitate interdum vincan-tur, dedecus, nullo prorsus modo abolendum, existimantes, si pactum rite initum temere vel propter speratam violent utilitatem. Pactum postulamus ex vitio sive in materia sive in forma non laborans; quum per se pateat, pactorum firmamenta nullam habere vim, si pacta in se illicita fuerint, vel illico contracta modo; quippe quæ quum in his casibus ad aliquid vel præstandum vel omit-tendum non obligent, sed in contrariam reapse valeant partem, propter vel interdictum, vel præceptum Legis Naturalis negotio, de quo conventum fuit, analogum, nec religionis accessus eisdem quid firmamenti addet.

§. V.

Inter religiosos pacta confirmandi modos, inde ab antiquissimis retro temporibus, habitum fuit *Jurandum*, seu adsertio religiosa, qua jurans Livinæ renuntiae misericordia, atque poenam in se deposita Numinis, nisi verum dicat aut promissum servet. Quum enim vix ullus sit frontis adeo perficitæ, ut, quod alio præfente, cuius in se auctoritatem agnoscit ac suscipit, vel adfirmavit vel promisit, cavilletur aut non servet; ita quum juramenta nitantur communi illa persuasione, quod licet pletrique hominum sint ad fallendum valde proclives, adeoque jura omnia, atque officia erga alios sibi injuncta, imo ipsam conscientiam fusque deque habere possint; eo tamen proterviæ vix procedant, ut Dei, quem & omniscium & simul justissimum esse norunt, vindictam & poenam in se provocare velint, maximum omnino firmamentum eadem pactis addunt. Quocirca tamen erit tenendum, juramenta, per se spectata, in pactis nullam novam ac peculiarem producere obligationem, nec lege Divina sive Naturali sive Positiva esse præcepta, sed accessorium tantummodo constituere obligationis, in ac per se validæ, vinculum, eum in finem adjectum, ut mutuæ pacientium fidei, majoris sollennitatis ac religionis causa, omnis cavillandi occasio subtraheretur (a). Hec de usu juramentorum disferentes, non ignoramus, usum illum non solum a Salvatore CHRISTO & hujus Apostolo Jacobo interdictum videri, sed hunc quibusdam etiam gentilium, ut nonnulli perhibent Historici, minus fuisse probatum. Enimvero sicut nec CHRISTUS nec Jacobus quævis prohibuerunt juramenta, sed tantummodo temeraria & inepta; ita eorum præcepta huc spectantia, ad statum Christianorum perfectionis, omnem pravitatem ac dissidentiam eliminantis, pertinent; qualem in Ecclesia pri-

mītīva obtinuisse, Historiæ Ecclesiastice Scriptores perhibent. Postquam autem ab ista ingenuitate ac morum probitate vertentibus seculis fuit discessum, aptius vix ex cogitari potuit medium, pacta rite inita confirmandi, & collapsam inter homines socialitatem & confidentiam ita restituendi, quam si per invocationem testimonii ac vindictæ Dei conscientiis hominum timor injiceretur. Quod vero morem Gentium barbararum, juramenta in civili bus negotiis mirus necessaria habentium, attinet, quo quidem modo fidem Scytharum prædicat antesignanus horum Legatus, ad Macedonum Regem *Alexandrum* Mœderis pangendi caussa missus, & comparationem inter suam gentem & Græcos talem instituens: *Turando gratiam Scybas sancire, ne credideris Græcorum ista cautio est, qui acta consignant & Deos invocant. Nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos* (b); est quidem hoc elogium eximium; attamen sicut tota hæc Legati Scythici oratio est in culto Scytharum ingenio superior, ita eandem pro fœtu acuminis Curtiani, inconstantiam Romanorum in fœderibus servandis, hoc modo oblique taxantis, non præter rem habemus.

(a) Nota est GROTII sententia de moralitate pacti, cum latrone initi, existimantis, tale pactum, utut in se invalidum, attamen si jurejurando fuerit confirmatum, esse servandum. *Vid. Libr. II. de jure belli & pacis Cap. XIII. §. 15. & Cap. XVII. §. 19;* qui vero inanis est animi scrupulus, quum lege Divina nulla teneamur, pacta in se illicita, servare.

(b) Cfr. CURTII *Histor. Libr. VII. Cap. VIII. §§. 28, 29.*

§. VI.

Cæterum juramenta in pactorum confirmationem non solum ab hominibus, veram religionem professis, sed ab ipsis quoque Gentilibus fuisse adhibita, exempla satis probant Historica. Patriarcha enim *Jacobus* cum socero suo *Labano* foedus pangens, in majus hujus robur jurejurando illud confirmavit, *Gen. 31: 53*. Et quamvis Iſraēlitæ ægre admodum ferrent foedus illud, quod eorum dux *Josua* ac Seniores populi cum Gibeonitis, illius impetrandi causa, dolo in se unique innoxio, usus inierant; attamen quum idem in detrimentum Iſraēlitarum non vergeret, & solleanni jurejurando eslet confirmatum, istud rumpere non sunt ausi. *Jos. 9: 18*. Imprimis vero paœta in templis & ad altaria jurisjurandi religione confirmata, habuerunt cæteris sacratiora. Dum igitur *Dionis* Syracusani soror & uxor valde timerent, ne *Callicratides* illi strueret insidias & vim inferret, hunc sublestæ fidei virum in ædem Proserpinæ deduxerunt, ac magnum jurare juramentum (a) coegerunt: *Nihil ab eo periculi fore Dionis*; qui tamen religioso hocce vinculo adeo parum movebatur, ut hinc audacior fieret ad meditatum facinus quantocvus perpetrandum (b). Plura in rem, nemini forte ignotam, probandam, adferre exempla, nec vacat nec juvat.

(a) Erat autem Jusjurandum, quod *magnum* vocabatur, tale: descendenter *Callicratides*, ab aliis *Callipus* dictus, in templum Céreris ac Proserpinæ, sacrisque quibusdam peractis, Deæ purpura se induebat, & ardentem manu tenens facem, juramentum præscriptum præstítit, ceu nos docet *Plutarchus*.

(b) Vid. CORNEL. NEP. in vita *Dionis* Cap. VIII.
§. 5.

§. VII.

Præcipue autem inde a mundi infantia invaluit consuetudo, pactum rite initum facto quodem actu, præter fidem utrinque datam, confirmandi; quo ipso significare, ut videtur, voluerunt paciscentes, se eadem integritate officium præstituros, qua sinceritate partem cultus Dei, cuius opem desiderabant, peregissent. Et quum sacrificia antiquitus primariam externi cultus Iovini partem consti-tuerint, eadem quoque pactis confirmandis habuerunt ap-tissima. Quid? Quod Deus fœdus cum Patriarcha Abra-bamo pangens, non dedignetur religiosum hunc paciscen-tium ritum, fidem promissorum suorum huic fakturus, ob-servare. Gen. 15: 9. seq. Similiter Patriarcha Jacobus in majorem icti cum socero suo Labano fœderis confi-mationem, victimas immolasse dicitur Gen. 31: 54. Ob-tinuit autem tunc mos frusta animalis mactati ad aliquam a se distantiam ponendi, inter quæ paciscentes ambula-bant, diras ei imprecantes, qui pactum violasset, ceu col-ligere licet ex Gen. 15: 10. & Jerem. 34: 18. (a). Quem pacta confirmandi modum ab Hebræis mutuo sumissè vi-dentur aliæ gentes. Sic *Fecialis Romanus*, porca adhibi-ta, vetere præfatione, priscis carminibus ad præstitutam diem in foro, seu ubi convenerant, enuntiatis, sceptrum manu tenens, pro Jovis simulacro, tamquam is fœderi adhiberetur - - - Jovem, Martem, cæterosque obtestari Deos, & dira obsecratione precari debebat, ut si quis eo-rum paciscentium fœdera violasset, aut illa sciens falle-ret, ita illum Jupiter feriret, quemadmodum ipse por-cam percuteret, ceu hunc confirmationis actum descri-bit Alexander ab Alexaudro. (b)

(a) In contrariam partem, aterrimo impietatis carbone notandum est filiorum Patriarchæ Jacobi, Simeonis & Leyi, flagitium, qui vindictam a Sichemo, Hemo-
ri

ri filio, qui sororem eorum Dinam compresserat, extorturi, Principi huic & conjugium Dinæ, & foedus cum illis ambitione expertenti, utrumque si ipse cum populo suo circumcidetur, addixerunt; qui vero religioni sibi non duxerunt, sacramento hoc in Sichenitarum oppressionem, horrendum in modum abuti. *Gen. 34.*

(b) Vid. *Genial. dierum Libr. V. Cap III. p. m. 231.*

§. VIII.

Quamvis Eucharistiae, ut sacratissimo Religionis Christianæ actui, multa debeatur veneratio; cavendum tamen erit, ne haec ita extendatur, ut in superstitionem vergat; quod certe fit, si ipsa contra institutionis naturam & indeolem civilibus quoque negotiis adhibeatur. Non tamen impietatis macula adfigenda hominibus, post peractum majoris momenti negotium, factum hoc epulum percipientibus. Salvo enim fine Eucharistiae primario, & gratiae per Christum partæ applicatione, inter illius celebrationem sinceritas voluntatis evadit quasi erectior; quia tunc omnino maxime nos decet esse memores tum pacis & charitatis, quam aliis, utpote ejusdem corporis spiritualis membris, debemus, tum etiam iræ ac vindictæ Divinæ, quæ eos manet, qui tantis se indignos reddiderunt beneficiis. Ex Historiarum igitur constat monumentis, Principes nonnullos superioribus abhinc seculis, hostiam, in sacra coena consecratam, inter se divisisse, & hoc modo foedus initum & fidem invicem datam confirmasse, quod nonnullis probabimus exemplis. De Pontifice Romano *Pascbali II.* memoria produnt Scriptores, quod post factam cum Imperatore HENRICO V. reconciliationem, & initum Romæ Anno MCXI foedus, quo Juri suo, quod priores sibi vindicaverant Papæ, de investitura Ger-

maniae Episcoporum, tandem renuntiaverat hic Pontifex, in celebratione Missae partem consecratam hostiam Imperatori tradidit, hisce usus verbis: *Hoc corpus Domini, natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut Sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus tibi in confirmationem verae pacis inter me & te.* Et sicut pars ista vivisca corporis divisa est; ita divisus sit a Regno Christi ac Dei quicunque pactum istud disrumpere tentaverit (a). Qui tamen religiosus actus conscientiam hujus Pontificis non magis strinxit, quam ut in Concilio Lateranensi, paullo post habito, omnia sua Imperatori data, & sacramenti religione confirmata promissa ac foedera revocaret, & singula antecessorum suorum jura sibi revindicaret (b). Huic simile exemplum refert Lambertus Schafnaburgensis: Anno; inquit, *MCCCXXIV LUDOVICUS Cæsar & FREDERICUS Austriacus, foedus inter se pæcti, ut firmius intercederet pacis ac foederis vinculum, uterque de eadem Eucharistia hostia participarunt, & pacis osculo inter se fraternitatem sanciverunt.* (c) Eodem modo confirmatum fuisse foedus Cameracense die 10 Decembr. MDVIII. inter Pontificem Romanum *JULIUM II*, Imperatorem *MAXIMILLANUM I*, & *LUDOVICUM XII*. Galliae Regem, de opprimenda Venetorum republica perhibet Mich. *Piccartus*, eique conventioni firmandae Pontificem hostiam in tres partes divisam, Principibus modo nominatis communicasse, addito hoc dicto parum Christiano: *Ut Sacro sancta Trinitas unus fit Deus, ita duraturam inter confoederatos tres unionem; qui tamen ex hoc foedere mox recessit.* (d) Enimvero sicut Piccartus nullum adducit facti memorati testem; ita illud in dubium non praeter rem vocatur, præsertim quum aliunde constet, nec Pontificem, nec cæteros Principes Cameraci fuisse præsentes, sed foedus illud ab istorum Imperantium Legatis esse confectum ac jurejurando confirmatum,

tum, Pontificem autem post longam deliberationem tandem ei accessisse & subscriptississe.

- (a) Cfr. SIGEBERTUS *Gembelacensis in Chronographia ad annum MCXI*, ubi simul formulas juramentorum, quibus se invicem Imperator ac Pontifex obstrinxerunt, adfert, & *Pauli Diaconi Hist. Libr. IV. Cap. 40.*
- (b) Vid. *CUSPINIANI Hist. Imper. p. m. 474.*
- (c) Vid. *PICCARTI Observ. Historico-Polit. p. m. 261.*
- (d) Vid. *Ejusd. Libr. modo citat. p. m. 262.*

§. IX.

Enimvero haud opus est, ut ad terras Europæ remotores excurramus, collecturi exempla paciscentium, qui in pignus constantiæ fidei a se datæ, sacramenti religione se obstrinxerunt, dum talia etiam inter Septemtrionales populos invenimus non pauca. Noto est notius, Magnos Moschoviæ Duces, quoties foedera cum vicinorum Gentium Principibus inierunt, eadem osculo crucis, ut sacratissimo religionis actu, plerumque confirmasse. De Scandinaviaæ Rege *Christierno II legimus*, eum in testificationem fidei promisorum, Svecis datorum, eadem jurando nec non sumta deinceps sacra cœna corroborasse. Ita enim hoc negotium describit Nob. von Dalin: *Kröningen skedde i Stockholms Storkyrka: Konungen gjorde då inför altaret sin ed, bekräftade alt hvad han tillförefene lofvadt, och tog derpå Sacramentet.* (a) Idem quoque a Regni Sveciæ Senatoribus, postquam homagium Regi GUSTAVO I, extensis prius super stricto ejus gladio, digitis in urbe Nylödefe die 10 Apr. 1540 juraverunt, fuit præstitum (b). Imo hunc pacta confirmandi morem, Sacræ Cœnæ fruitione factum, observarunt non solum Principes, sed

sed privati etjam cives in majoris momenti negotiis, adeo ut non solum conjuges statim post copulam, sed sacerdotes etjam in Ordinem Ecclesiasticum recepti, ipso nuptiarum & initiationis die Sacram sumerent cœnam, ex tenore Constitutionis Ecclesiastice olim sanctæ. (c) Postmodum vero a gl. m. Rege CAROLO XI usus Eucharistiae in negotiorum Civilium confirmationem fuit interdictus. Ita enim in Constitutione Ecclesiastica Anni 1686. sonant augusta verba: *Herrans Nattvard skall ingen missbruka, till att thermed betyga sig vara oskyldig till något brott, som bonom förevites, mycket mindre till någon förpliktelse, thermed at stadfästa något löste, thet vare i ågtenkaps mål eller annat.* (d)

(a) Cfr. *Histor. Svec.* Tom. II. p. m. 909.

(b) Vid. *WILSKMAN'S Ecclesiastique Värk*, Ed. Alt. p. 270. not. a.

(c) Vid. *Constit. Eccles. (Kyrko ordningen)* An. 1571. Fol. XXXIX. & LXVIII. Imo qui perjurium committeret, quamvis negotium ulu sacræ cœnæ confirmaslet, idem nisi in poenam capitis fuit damnatus, virgis ad januam illius Ecclesiæ templi, in qua flagitium commiserat, cæderetur; vid. *vitam OLAVI & LAURENTII Petri Phæse*, a J. HALLMAN, consignatam p. 106.

(d) Cfr. *Ejusdem Libri nominati Cap. XI. §. V.* p. 62.